

promissionibus de gubernatione divina in omnibus viis suis, nihilominus in gravissima, & atrocissima peccata, contra conscientiam incidere, ac prolabi, si oblatam a Spiritu gubernationem non ferant, quis dubitet eosdem, quicquid sit de divinis illis Spiritus S. promissionibus, errores capitales concipere, ac fovere posse? Nec enim ratio appetet, cur, cum singuli in Ecclesia prolabi e statu gratiæ, & peccata mortalia committere possint, hæreses & capitales errores concipere in intellectu non possint. Saltem illa de Spiritu S. inducturo Apostolos in omnem veritatem promissio non obstat, quum verba perspicue ostendant, eandem non ad totam Ecclesiam, sed ad solos Apostolos pertinere, quibus, ob plantationem Ecclesiæ, isto privilegio opus fuit, & res ipsa id loquitur, Christum respexisse ad miraculosam Spiritus S. effusionem super Apostolos, atque inde oriundas dotes bene ministrandi prorsus extraordinarias, singulisque adeo Ecclesiæ membris nec promissas, nec expectandas. Quod vero Christus portas inferorum adversus Ecclesiam prævalitas esse negavit, id, vero non tam de cœtu *Vocatorum*, & *Ecclesia visibili*, qua de disputatur h. l. quam de cœtu *Electorum*, & sub illa demum conditione intelligi debet, siquidem in illa de Christo confessione, cuiusmodi Petrus ediderat, velut in petra quadam, per veram fidem immoti perfisterint.

S. XVIII. Alioqui ex ipsa Scriptura constat, Ecclesiam V. T. quam veram fuisse, nemo inficias iverit, & crebro & enormiter errasse. Deum immortalem! in quam fœdam idolatriam statim a morte Iosuæ prolapsi sunt Israëlitæ *Jud. II, 10. sq.* Quam sæpe, atrocissimis licet calamitatibus & plagis retracti, redierunt ad eam? Quoties gloriam Dei sui mutarunt? Conf. *Ierem. II, 8. 9.* Imo vero vix

C 2

ex